

**USR EMILIA-ROMAGNA – CUSL (CONSULTA UNIVERSITARIA DI STUDI LATINI)**  
**CERTIFICAZIONE DELLE COMPETENZE IN LINGUA LATINA 2024**

**Test B2-seconda parte(traduzione)**  
**Tradurre la sezione in corsivo**  
**Svolgimento in 60 minuti**

**Summarium**

Cum Pyrrus rex contra Romanos pugnaret, regis amicus, nomine Timochares aut Nicia, ad C. Fabricium consulem adiit et ei promisit dolo Pyrrum interficere. Sed Romanorum legati regem monuerunt ut a familiaribus suis caveret. C. Fabricius et Q. Aemilius consules Pyrrum per litteras certiorem fecerunt se armis, non insidiis, vincere velle.

1	<i>Cum Pyrrus rex in terra Italia esset et unam atque alteram pugnas prospere pugnasset</i>
2	<i>satisque agerent Romani et pleraque Italia ad regem descivisset, tum Ambraciensis quispiam</i>
3	<i>Timochares, regis Pyrrhi amicus, ad C. Fabricium consulem furtim venit ac praemium petivit</i>
4	<i>et, si de praemio conveniret, promisit regem venenis necare idque facile esse factu dixit,</i>
5	<i>quoniam filius suus pocula in convivio regi ministraret. Eam rem Fabricius ad senatum</i>
6	<i>scripsit. Senatus ad regem legatos misit mandavitque ut de Timochare nihil proderent, sed</i>
7	<i>monerent, uti rex circumspectius ageret atque a proximorum insidiis salutem tutaretur. Hoc</i>
8	<i>ita, uti diximus, in Valeri Antiatis Historia scriptum est. Quadrigarius autem in libro tertio</i>
9	<i>non Timocharem, sed Niciam adisse ad consulem scripsit neque legatos a senatu missos, sed</i>
10	<i>a consulibus, et Pyrrum populo Romano laudes atque gratias scripsisse captivosque omnes,</i>
11	<i>quos tum habuit, vestivisse et reddidisse. Consules tum fuerunt C. Fabricius et Q. Aemilius.</i>
12	<i>Litteras, quas ad regem Pyrrum super ea causa miserunt, Claudius Quadrigarius scripsit</i>
13	<i>fuisse hoc exemplo: "Consules Romani salutem dicunt Pyrro regi. Nos pro tuis iniuriis</i>
14	<i>continuis animo tenus commoti inimiciter tecum bellare studemus. Sed communis exempli et</i>
15	<i>fidei ergo visum ut te salvum velimus, ut esset quem armis vincere possemus. Ad nos venit</i>
16	<i>Nicias familiaris tuus, qui sibi praemium a nobis peteret, si te clam interfecisset. Id nos</i>
17	<i>negavimus velle, neve ob eam rem quicquam commodi exspectaret, et simul visum est, ut te</i>
18	<i>certiorem faceremus, ne quid eiusmodi, si accidisset, nostro consilio civitates putarent</i>
19	<i>factum, et quod nobis non placet pretio aut praemio aut dolis pugnare. Tu, nisi</i>
20	<i>caves, iacebis."</i>